

216

214

220

205

210

225

205

265

165

315

115

Ende

Anfang

Quibus dixi: lapides quidem habemus, sed non sacratos vestigiis
Domini salvatoris Dei nostri et Sanctorum ejus, ideo hinc eos
colligimus et carissimos eos in terra nostra habemus. Hoc
audientes reddiderunt mihi sportam. Aliam etiam sportam habui
plenam ramis palmarum, de qua etiam interrogatus, quid cum
ramis illis facere vellem? dixi eis, quod in terra nostra nullae
arbores palmarum essent, et tamen juxta cultum Dei nostri rami
palmarum essent nobis necessarii quodam tempore anni, et mira-
bantur de auditis, aestimabant enim, quod de foliis et pelletis
vellem facere sportellas, sicut ipsi faciunt, sieque dimiserunt in-
tactam sportam illam; valde enim timui, quod inter ramos quae-
rerent, quia miles quidam arcum sarracenicum cum jaculis et ensem
turicum absconderat in ramos, et si haec invenissent, in tribu-
lationem venissemus non parvam. Ut autem contenti starent, de-
dimus eis juxta consilium Trutschelmanni aliquos madinos, et di-
miserunt nos cum pace. Sic ergo per portas cum non sperata
tranquillitate evasimus, et usque ad oram maris processimus, ibi-
que exoneratis bestiis et solutis asinariis aestimabamus omnem per-
scrutationem finitam. Trutschelmannus autem Schambeck licen-
tiavit nos dicens, salvum conductum jam exspirare, et hortabat-
tur, ne amplius civitatem ingredieremur propter periculum aliquod,
quod nobis accidere posset, sieque ipse in civitatem rediit. Statim
ergo, ut recessit, conduximus barcam, ut supellectilem nostram in
cam poneremus et in classem duceremus, sed dum saccos et
sportas jam super nos levassemus, occurrit quidam Sarracenus et
cum ira dejicit a nobis res dicens, oportere exspectare scruta-
tores finales, et cum multum disputaremus cum eis, non curabant
nos, sed prohibebant nos res importare navibus dicentes, quod
adhuc nudissima perscrutatio restaret usque ad minimum quadran-
tem. Hoc ut audivi, extraxi de communi cumulo res meas et
res domini Joannis Archidiaconi, socii mei, qui in classem navi-
gaverat, et singularem feci cumulum sedique super eum exspec-
tans adventum scrutatorum, qui cum venissent, militum supellec-
tilem exacte perscrutati sunt et fortius illigata ruperunt et omnia
lustrantes de singulis telonea habere volebant, quibus dum dice-
rent, quod pecuniam telonei solvisset Schambeck, dicebant, eu-
dem nullam habere potestatem juxta littus maris, sed solum sub
portis civitatis et in civitate. Sieque domini milites non paucos

